

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Alberti v. Haller Domini In Goumoens Le Jux Et Eclagnens.
Præsidis Societatis Reg. Goettingensis ... Primæ Lineæ
Physiologiæ In Usum Praellectionum Academicarum**

**Haller, Albrecht von
Lausannæ, MDCCLXXI.**

VD18 11701269

Cap. XXX. Nutritio. Incrementum. Vita. Mors.

urn:nbn:de:gbv:45:1-17141

552 NUTRITIO. INCREMENTUM.

tur, a fæce ad dextra adpendiculæ pondere suo deorsum nitente; & pedes insigniter augmentur, a sanguine a ligatis umbilicalibus arteriis repulso, & reliquæ mutationes fiunt, quibus mediis fetus in naturam perfecti hominis sensim migrat.

C A P. X X X.

NUTRITIO. INCREMENTUM.

VITA. MORS.

DCCCCXLI. Etiam postquam puer in lucem eductus est, crescit porro, sed lentius semper, & pro minori portione, uti a nativitate recedit. Multæ causæ sunt, cur continuo minus sit incrementum. Multa vascula excæcari videntur, tum quod a vicino torrente magni tubi arteriosi elidantur: tum quod viscidior nunc sanguis in coagula abeat. Sed etiam crassior nunc cibus plus in sanguinem terræ congerit, quæ cum succo alibili in universum corpus adducta omnia reddit duriora, ossa, dentes, cartilagine, tendines, ligamenta, vasa, musculos, membranas, vasa, cellulosam telam; ut etiam tangentes digiti novam duritatem distinguant. Quare cum per pauciores canales sanguis a corde adve-

adveniat, cum duriora sunt omnia, quæ oporteat producere & distendere, necesse est minus & minus cedere, quæ crescere debent, cordis impulsioni.

DCCCCLIV. Sed etiam cor, quod primum inter omnes partes molles confirmatum sit, minus increfcit, quam ulla in reliquo corpore particula: dumque multo teneriores artus & molliora viscera distendantur, ipsum lentius increfcit, minoremque perpetim, & demum octuplo omnino minorem portionem ad corpus adultum habet. Simul, ex ea ipsa quam celeriter adquisivit, densitate sit, ut minus sit irritabile, & intra datum tempus infrequentius contrahatur. Ita dum vires resistentes augentur, vires distendentes una minuuntur.

DCCCCLV. Erit ergo ferius ocysuve finis incrementi: isque eo celerius adtingetur, quo vividius & frequentius cor micaverit: aderit autem is finis, quando omnium ossium crustæ cartilagineæ nunc tenues erunt, ut porro cedere ossæque adeo partis incremento obsequi nequeant. In feminis celeriozem incrementi finem menses inponere videntur. Piscibus cartilagineis perpetuum incrementum est.

DCCCCLVI. Status omnino nullus est, cum perpetuo a primo conceptu, perenni progressu natura ad decrementum

554 NUTRITIO. INCREMENTUM.

ducat. Dicitur tamen tunc adesse, quando neque incrementum superest, neque decrementum valde manifestum se effert.

DCCCCLII. Nempe perpetuo consumimur omnes (CCCCXXXIV). Neque unice partes fluidas amittimus, sed ipsas demum, quæ pro solidissimis habentur. Nam & ossa mutantur, & duriores ossibus dentes increscunt, quando obpositorum dentium tritus eos desinit consumere, atque adeo eorum elementa mutantur, & fibræ eburneæ in dente elephanti decesserunt, curvisque lineis glandem plumbeam utrinque ambiverunt, & succus osseus mutatur, cum alias dura ossa mollescant, alias tumores osseos exuberet: & cicatrices ipsæ manifesta habent incrementa, non suffecturæ alioquin claudendo in adulto homine vulnere, quod puer accepisset; copia terræ, nostræ omnino, ut per morbos vincitur, quæ per lotium decedit.

DCCCCLVIII. Causa destructionis solidorum est in perpetua extensione & retractione, quæ fit in singulo cordis pulsu, centies millies intra singulos dies, quo motu ipsa metalla adteruntur: Deinde a frictione partium fluidarum ad consistentes: a detritione omnium membranarum, quæ vel in corporis superficie, vel in cavis internis libero fine terminantur, cuius unica ad reliquum canalem est firmi-

V I T A. M O R S. 555

tas: in musculorum alterno tumore & decremento; in adtractione & pressione, quam carnes nostræ exerunt. Eo facilius autem deteruntur omnia, quod plurimum cum pauca terra glutine fiant, idve gluten extensum, si vim adhæisionis extensio paulum superaverit necesse sit decidere de terræ elementis & abripi. Ita serobes nascuntur, quales in senum arteriis oculus demonstrat. Cellulosa tela alioquin in aqua in gelatinam diffluxura, a sanguinis contra vicina ossa, vicinos musculos inpetu, confricatione deteritur, & a perpetua alterna flexione & extensione.

DCCCCLIX. Celerrimum foret decrementum, vitæque finis non longe distaret a principio, nisi jacturæ nostræ repararentur. Fluidas partes cibi restituunt, celeriter satis, ut vel ex pullo adparet, cui ex alimento intra biduum sanguis renascitur. Fiunt vero, ut alias ostensum est, ex adipe adeps & sanguinei globuli: ex gelatina lymphaticus succus: ex muco mucus: ex istis & ex aqua humores reliqui. Partes firmæ iisdem fere modis reparantur, quos in fetus historia descripsimus. Gelatinosus ex alimentis succus per arterias ad omnes partes corporibus adducitur, in omnes cellulosas telas exsudat. Serobes quas putes de intima arteriarum membrana per sanguinis inpetum effodi, adaptata

556 NUTRITIO. INCREMENTUM.

per vim lateralem materies viscida restituit, neque superatura modum cum exuberans particulæ nutritiæ finis necessario a sanguinis fluente abripiatur. Non deficiet, dum alimenti sit satis, cum major sit quies & minor resistantia in fundo scrobis, quæ a motu sanguinis per medium alveum est remotior. Aeris certæ vires esse videntur, quibus alimentum ad partes solidas revincit, etsi modus ignoratur.

DCCCCLX. Cellulosæ telæ decremента, a tractione nata vel a pressione, reparabit exhalaturus de arteria viscidus vapor, ad loca absunta adpressus vi vicinarum arteriarum, comprimentium musculorum, expressarum & resorbta parte aquea. Plerasque partes organicas tendines membranasque gluten reparat, ut in fetu, in novam cellulosam telam factum.

DCCCCXLI. Decrementum quod est in liberis finibus partium altero fine ad reliquum corpus adhærentium, potest sola protrusione sarciri, dum intervalla subnata lymphâ replet.

DCCCCLXII. Quo tempore corporis statura negat proferri, obesitas nascitur, veri incrementi quoddam imitamentum. Ea ab adipe fit ex cibo nato, qui lenescente nunc sanguinis inpetu, cum difficilius nunc in minima vascula subeat, ad parietes vasorum ablegatur, vascula late-

ralia subit, porosque inorganicos arteriarum, in cellulofam telam exsudat, ibique, diminuta nunc vi conquassantis sanguinis, diminuta resorbtione venosa congeritur.

DCCCCLXIII. Decrementi initia in ipsa juventute invenias. Jam eo florido tempore elementa solida augebantur, rimæ ab humore perfluxæ minuebantur, vascula excæcabantur, & cellulofæ telæ major adtractio totum corpus addensabat. In universo corpore duritas, quæ ab ætate nascitur, se conspicuam offert, in ossibus, totis nunc fragilibus, in cute, in tendinibus, in glandulis conglobatis, in arteriis, in pondere vero partium omnium, ipsiusque cerebri. Rigescunt autem celerius eæ partes, quæ majori motu exercentur, ut in quoque opifice eæ, quibus ad suam artem potissimum utitur.

DCCCCLXIV. Et porro pergunt arteriæ densari, angustari, excæcari, tum a pressione intus per magnum tubum fluentis sanguinis, tum ab adtractione cellulofæ telæ, qua arteriæ major portio constat. Desinunt ergo ali infinitæ partes cellulofæ telæ, ad quas hæctenus minimæ arteriolæ alimentum adtulerant, nunc cæcæ nullum adferunt. Ablata vi extendente cellulosi flocculi se adtrahunt, cavernulas interceptas arctant, abeunt in membranas, in textus duros, qui alia vascula intercipiunt, & quasi strangulant. Sed etiam vapor gelati-

558 NUTRITIO. INCREMENTUM.

nosus in cavernulis cellulosæ telæ concre-
scit inque solidam cum suis parietibus du-
ritiem abit. Musculi expulso sanguine,
adunatis fibris, in densos, duros, & irri-
tabili vi destitutos tendines abeunt.

DCCCCLXV. Una nervi sensim ad sen-
suum inpressiones, musculi ad sollicitatio-
nes magis & magis occalescunt, & obsur-
descunt, ita cordis vis contractilis, & fre-
quentia pulsuum minuitur, atque adeo vis
omnis, quæ sanguinem in minima vascula
adigit.

DCCCCLXVI. Humorum copia in den-
siori corpore minuitur, ut manifesto per-
spiratio, semen, humores oculi, humor
glandularum conglobatarum, vapor irro-
rans partes corporis solidas undique decre-
scat. Quare nutritio nunc labascit, plus
enim est, quod ali oporteat, & minus est
humoris qui nutriat.

DCCCCLXVII. Neque unice humorum
copia minuitur: ipsi etiam corrumpuntur.
Blandi fuerant & visceridi in pueris: iidem
nunc acres, falsi, fætidii, terra multa gra-
ves sunt in senibus. Vitio id fit alimen-
torum falsorum, putrescentium, quorum
culpa longo aevo collecta invalescit: vitio
etiam cutis minus perspirantis, alvi segnis,
ob diminutam irritabilitatem, & auctæ adeo
resorbitionis putridi liquaminis. Inde fætor
urinæ, animæ, difficilis consolidatio vul-
nerum.

DCCCCLXVII. Maximum tamen vitium humorum est, quod terra abundant, tum sensim ex cibis collecta, postquam secretiones minus liberæ fuerunt, partim ex ipsis nostris solidis partibus abrepta, & ad sanguinem reddita: de ea enim terra ex morbis & ex natura terræ podagricæ constat. Ab ea terræ copia iterum in universo corpore portio ejus elementi augetur, dum nutriens liquor secum ejus nimiam copiam adfert, unde ossium fragilitas, omnium partium duritas increfcit: eadem etiam passim in cellulofas telas deponitur, & crustas primum callofas, deinde offeas & lapideas utique, ied etiam potissimum in arteriarum tunicis colligit.

DCCCCLXIX. Duritas universi corporis, decrementum virium musculosarum, & sensuum diminutio senium constituunt, quod serius ocys in mortales grave decumbit, celerius, si vehementibus laboribus, voluptati, & victui vitioso se dederint: lentius si mite vitæ genus cum sobrio victu secuti fuerint, si ex regione frigidiori in calidiorē se contulerint.

DCCCCLXX. Cum tamen eadem causæ perpetuo in addensanda corporis materie, in diminuenda irritabilitate, in augenda terræ copia pergant operari, non potest evitari, quin decrepita aetas senis succedat. In ea sensus fere pereunt, & musculorum

560 NUTRITIO. INCREMENTUM.

vis insita debilissima est, ut artus debile-
scant, deinde, & pedes potissimum, cor-
pori regendo non sufficiant: ut ad veneris
officia cienda callosa nervorum insensibilitas
non excitetur: ut ipsa intestina ad sollici-
tationes solitas pigra desinant respondere:
ut duratis inter vertebrae cartilaginibus cor-
pus antrorsum labascet: ut dentibus delap-
sis maxillæ breviores male labra sustineant:
ut cordis pulsus de frequentia sua, quæ
fuit infanti, dimidiam partem amittant.

DCCCCLXXI. Ita denique mortis na-
turalis ingruit necessitas, ut plurimi qui-
dem mortales ante diem a morbis abripiantur,
millesimus quisque nonagesimum an-
num superet, unus & alter intra unum
seculum ad centesimum & quinquagesimum
annum erepat. Longævus, si cum anima-
libus comparaveris, homo est, tenerior
idem omnibus, & laxiori carne, minusque
duris ossibus. Inter longævos, non facile
est dictu, quæ causa fuerit ejus privilegii.
Videtur inter gentes reliquas Anglia eorum
numero excellere, qui ad plurimos annos
perveniant, tum frigidiusculæ in univer-
sum regiones. Inter vitæ genera, plebs
fere sola ea rara exempla protulit, ut ta-
men a numerosiori classe plura exempla
expectare possis: Sobrietatis, aut certo vul-
garis, neque lautæ diætæ: morum mitio-
rum: ingenii non vividissimi, sed læti, &

ad curas minus audientis, aliqua prærogativa fuisse videtur. Inter animalia aves longæviores sunt, longævissimi pisces, quibus cor minimum, & lentissimum incrementum & ossa nunquam indurantur.

DCCCCLXXII. Rara mors senilis est, tamen aliqua. Eam dicimus, in qua senim vires deficiunt, musculorum primum voluntati subjectorum, tunc etiam vitalium, demum ipsius cordis, ut senes sola ex debilitate vivere potius desinant, quam a morbo aliquo obprimi. Sæpe in bestiis ejusmodi mortem vidi. Cor sanguini ad remotas partes urgendo impar est, pulsus & calor a pedibus fugit, & a manibus, pergit tamen sanguis a corde in proximas arterias dari, indeque relabi, ita flammula aliquamdiu alitur, quam paulo post videas extinguere, quando nunc cor omnino & ipsum viribus cassum, neque a sanguine ad motum efficacem irritabile, non potest per pulmonem sanguinem urgere, ut aorta suam penum accipiat. Ita respirationis ultimæ vires intenduntur, ut sanguinis per pulmones iter aperiatur, donec & ad perficiendam inspirationem vires a natura datæ in pares cessent. Ita cor sinistrum sanguinem non accipit neque irritatur, & ipsum quiescit, dum aliquo tempusculo dexter ventriculus & demum auricula ejus lateris, sanguinem a frigidis & contractis artubus per

562. NUTR. INCREM. VITA. MORS.

venas submissum accipiunt, & ab eo irritata debiliter salunt. Sed & is motus denique, quando & partes corporis reliquæ perfrigerunt, & ipse adeps coagulatus stetit, cessat, & perfecta nunc mors est.

DCCCCLXXIII. Mortem dixero, quando omnis de corde natura irritabilis disperiit: neque enim cordis quies est absque suspensatione: neque partis alicujus corporis animalis putredo mortem totius animalis demonstrat: neque insensibilitas, neque frigus; quæ tamen omnia conjuncta, & perpetuo majora, cum rigore, qui adipem a quiete & frigore coactum sequitur, indubio casu mortis signa sunt.

DCCCCLXXIV. Mortui hominis cadaver putredini traditur. Ita adeps & aqua, & gluten resoluta avolant, terra suis destituta vinculis sensim dilabitur, & ad humum se admiscet: Anima eo abit, quo DEUS jusserit, quam in morte non destrui vel ex frequente phænomeno arguas; plurimi enim mortales, quando nunc corporis vires dissolutæ dilabuntur, serenissimæ & vegetæ & lætæ demum mentis signa edunt.

F I N I S